

sine fructu maneat, tamen non manet affectus rusticorum sine fructu, nec mens plurimorum aliorum, qui Latinè sciunt; & fructus mentis, qui deest idiotis, compensatur utilitatibus multis; quæ inde proueniunt, quod Scripturæ in publico conuentu, communissimo idiomate, id est, Latino, afsiduè leguntur.

Obiectio Tertia Brentij, in decretalibus cap. Q[uod]niam in plerisque, tit. de officiis ordinariis. Innocentius III. præcipit, vt cùm in aliqua urbe permixti sunt homines diuersarum linguarum, Episcopus prouideat viros idoneos, qui diuersis linguis diuina officia celebrent, & Sacramenta administrent diuersæ linguae hominibus.

RESPONDEO, Innocentium tantum loqui in eo decreto de lingua Græca & Latina. Quia enim tempore Innocentij capta est Constantinopolis à Latinis; & Imperatore ac Patriarcha Constantinopolitanis Latinis existentibus, permulti erant in Græcia Latini Græcis admixti; postulatum fuit à Pontifice in Concilio generali Lateranensi, ad quod Græci & Latinii conuenierunt, vt permitteret duos Episcopos ordinarii in talibus locis. Pontifex autem cum Concilio respondit, non conuenire, vt sint duo Episcopi in una Ecclesia, sed tamen debere Episcopum prouidere, vt sint ministri dionei, qui Græcè Græcis, & qui Latinè Latinis sacra celebrarent. Estque hoc decretum, cap. 9. Concilij, & inde sumptu[m] est cap. Quoniam in plerisque.

Quod igitur non loquatur decretum de linguis vulgaribus, patet tum ex historia iam recitata, tum etiam quia decretum suis est maximè in Italia obseruatum, vbi Pontifex Max. residet, & tempore dominum habet. At in Italia nunquam id obseruatum est: nam S. Thomas, qui floruit paulò post decretum factum, officium composuit Latinè de festo corporis Dñi, quod etiam hodie retinemus, cùm tamen ipse in comment. i. Cor. 14. fateatur, lingua vulgarem Italicorum suo tempore non fuisse Latinam.

Obiectio Q[uod] VARTA eiusdem Brentij. Finis diuinorum officiorum publicarumq[ue], lectionum est populi instruc[ione], consolatio, & ædificatio: nam Rom. 15. dicitur: Ut per patientiam & consolacionem Scripturarum s[ecundu]m habeamus. Et i. Corinth. 14. Volo quinque verba in sensu me loqui, ut alios instruam, quam decem milia verborum in lingua. Et ibidem: Cūm conuenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. At ex lingua ignota & peregrina, quæ instruc[ione], quæ ædificatio, quæ consolatio percipi potest?

RESPONDEO, & propositionem & assumptionem huius argumenti falsam esse. Nam finis præcipuus diuinorum officiorum non est populi instruc[ione], vel consolatio, sed cultus Deo ab Ecclesia debitus. Clericorum enim officium

est, nomine totius populi Christiani perpetuo immolare Deo sacrificium laudis, vt ipse requirit Psal. 40. & more militum excubare, ac vigiliis & orationibus tota castra Ecclesia protegere Isa. 62. Super muros tuos, Hierusalem, confisi custodes: tota die & nocte in perpetuum non tacebunt: Deinde, qui nō sunt imperitissimi, ij Latine sciunt, & instruunt, dum audiunt diuina officia: certi autem non instruerentur, etiam si vulgaris lingua officium celebraretur; non enim in verbis, sed in sensu instruatio est. Quare plebis instructioni deseruiunt conciones frequentissime, quæ in singulis Ecclesiis fieri debent.

Nec quæ tria illa Scripturae testimonia sententiæ nostra vla ratione officiant. Fateremur enim Scripturas sacras magnâ adferre fidibus consolationem, vt Rom. 15. Apostolus monet, sed doctris quidem dum leguntur, indoctis autem dum à concionatoribus explicantur. Et merito S. Paulus maulli quinq[ue] verba in sensu suo ad instructionem loqui, quam decem millia verborum in lingua, quia melior est cohortacio, quæ ab omnibus intelligitur, licet brevissima sit, quam ea, quæ non intelligitur, etiam sit longissima. Denique per illa quinque vocabula, psalmum, doctrinam, apocalypsim, linguam, & interpretationem, non intelliguntur Scripturae diuinæ, sed quinque dona gratis data: Nam pauci ante in hoc eodem capite Apostolus de iisdem donis italoloquent: Si venero ad vos linguis loquens, quid vos prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in propheta, aut in doctrina?

Itaque per linguam intelligit donum linguarum; per doctrinam intelligit donum docendi, quæ ad bonos mores, vel etiam fidem pertinet; per apocalypsim donum reuelationis. Sapientia enim Deus tunc sedentibus in Ecclesia reuelabat mysteria; per interpretationem intelligit donum exponendi Scripturas, & de vna lingua in aliam transferendi, quod donum etiam prophetiam sapientissime Paulus vocat; per psalmum intelligit donum gratis datum psallendi, vt recte Chrysostomus exponit, id est, donum comprehendendi spiritualia cantica, & ea in Ecclesia modestè canendi. Sensus igitur est, cùm in vestris conuentibus & collationibus possitis exercere hæc omnia dona linguarum, reuelationis, &c. videte vt nihil fiat ad ostentationem, sed omnia ad utilitatem & ædificationem.

Obiectio Q[uod] VINTA Kemnitij. Christus prædicauit lingua vernacula: Apostoli in die Pentecostes loquebantur variis linguis magnalia Dei, & postea dispersi per orbem terrarum, prædicauerunt vbi que linguis eorum populorum, quibus prædicabant, igitur oportet variis linguis, iisq[ue] vernaculis Scripturas diuinæ habere. Nam si non inquinatur verbum Dei, si proferatur lingua vulgari, cur inquinabitur si scribatur lingua vulgari?

RESPONDEO; hoc argumento nihil conclu-